

*Raimondo de Busca immette nel
possesso della metà indivisa di
Bruzzano Riccardo di Maida,
procuratore di Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Raimondo de Busca immette nel
possesso della metà indivisa di
Bruzzano Riccardo di Maida,
procuratore di Guglielmo Ruffo*

1323-01-23

In nomine Domini Amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo tertio, die vigesimo tertio mensis Ianuariis, sexte inditionis; apud Palitium. Regnante Serenissimo Domino nostro Rege Roberto Dei gratia inclito Hierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, Principatus Capue, Provincie, Forcalquerii, ac Pedemontis Comite, regnorum suorum anno decimoquinto feliciter Amen.

Nos Guglielmus de Cutrono Iudex terre Palitii, Nicolaus de Santo Paulo Regius publicus Notarius per totum Iustitiariatum Calabrie ordinatus, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti publico instrumento notum facimus et testamur. Quod vir nobilis Raimundus de Busca in nostra presentia constituto ostendit nobis, ac publice legi fecit, quoddam publicum instrumentum scriptum per manum Cesaris Pulegi de Luca, publici Imperialis et per totum Regnum Sicilie Regia autoritate notarii, quod vidimus, legimus, et inspeximus diligenter non abolitum, non cancellatum, nec aliqua parte sui fore vitiatum, per omnia infrascripti tenoris. Qui Raimundus pretitulato die vigesimo tertio dicti mensis Ianuarii mandato et autoritate et potestate predictis sibi traditis per Guglielmum de Busca prefatum, ut superius enarratum Procuratorem nomine dicto Gugliemi de Busca predicti, providum Virum Riccardum Razonitum de Maida Vicarium generalem et Procuratorem dicti Guglielmi de Sinopulo procuratorio nomine ipsius Guglielmi de Sinopulo, et pro eo recipientem in veram, vacuum, et corporalem tenutam, et possessionem dicte medietatis pro indiviso ad eum spectantis de terra quam Regia Curia habuit in Veteri Brutiano site in Iustitiariatu

Calabrie, quam dictus Guglielmus tenebat, et possidebat in feudum a Regia Curia communiter pro indiviso cum dicto Guglielmo de Sinopulo ex venditione sibi facta a Bartholomeo de Busca predicto, cum hominibus, vassallis, possessionibus, terris cultis, et incultis, tenimentis, iurisdictionibus, operibus, angarie, et perangariis, servitiis, redditibus, bonis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, silvis, pascuis, et pertinentiis singulis ad medietatem dicte terre spectantibus, ut in publico Instrumento inde facto plenius continetur. Coram nobis per fustem ut moris est induxit, et legitime investivit ad gaudendum dictus Guglielmus de Sinopulo, pacifica possessione medietatem terre praedictae, et aliorum predictorum per eundem Guglielmum de Busca prefato Guglielmo de Sinopulo venditorum.

In cuius rei testimonium, et futuram memoriam, et ut de premissis fides fieri valeat apud omnes, et dicti Guglielmi de Sinopulo cautelam factum est eidem Riccardo Vicario et Procuratori dicti Guglielmi de Sinopulo Procuratoris nomine ipsi, et pro eo recipiente presens publicum Instrumentum scriptum et subscriptum per me notarium supradictum signo meo solito signatum, nostrum qui supra Iudicis et testium subscriptorum signis, et subscriptionibus roboratum. Actum anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Gugliemus de Cutrono qui supra Iudex interfui et testor. † Ego Presbiter Michael de Palitio testor. † Ego Francischinus de Castrobono testor. † Ego Guglielmus Atafatus testor. † Ego Andreas de Castromari testor. † Ego Robertus de Bittonio predicta testor. † Ego Constansius de Melcichino predicta testor. † Ego Nicolaus de Alania

*Raimondo de Busca immette nel possesso
della metà indivisa di Bruzzano Riccardo
di Maida, procuratore di Guglielmo Ruffo*

5

predicta testor. † Ego Nicolaus de Santopaulo Regius
Publicus qui supra Notarius predicta scripsi et me
subscripsi.

1

d'altrà mano si legge nel codice: appresso a questa scrittura
viene in ordine il transunto del Privilegio del Re Roberto
registrato dieto a folio 12 a tergo seguita lettera Regia, come
nelle pretermesse